



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### De Bono Sodalitatis Partheniæ, Et Officiis Sodalium Erga Deiparam Patronam

Bourgeois, Jean

Antverpiæ, 1622

Cap. 21. De operibus misericordiæ spiritalis accorporalis exercendis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48699](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48699)

aut procurare nostra potest beneuolentia, præter illud vnum externi cultus, quo nihil tamen ipsi egent, sed in nostrum redundat spirituale lucrum atque emolumentum? Vt hoc eodem illorum vitæ nostræ parentum amore quamplurimi corripiantur, exoptandum est, vt Dominum Dominamq; nostram nobiscum magnificent, & exaltent sacra illorum nomina in idipsum, & in æternum. Benedictum sit & clarificetur Sãctissimum nomen Iesu & Sanctissimæ Virginis Mariæ matris eius, & nunc & semper. Amen.

## C A P V T XXI.

*De operibus misericordie spiritualis & corporalis exercendis.*

**C**haritatis germana proles misericordia est, à qua sibi quoque nomẽ desumpsit Patrona nostra, vt misericordie mater diceretur & esset: non modò, quia magnam illam nobis misericordiam peperit, incarnatũ Deum; verũ, quòd  
&

& ipsa miserorum maxima semper commiseratione commota, numquam à misericordiæ & beneficentiæ quibus eis succurreret operibus vacarit, & hæc illi gratissima accidant, quãdo à suis clientibus honoris eius causa exercentur. Fuit Iob, vt patientiæ, sic misericordiæ præclarũ exemplar. Ait ille de se: *Oculus fui cæcus, & pes claudus, pater eram pauperum. Si negaui quod volebant pauperibus, & oculos viduæ expectare feci, si comedi buccellam meam solus, & non comedit pupillus ex ea; quia ab infantia mea mecum creuit miseratio, & ex utero matris meæ egressa est mecum. Foris non inueni peregrinus, ostium meum viatori patuit.*

Iob 29 15.

Iob 31 16.

Iob 18.

v. 32.

Tales optat cultores suos Deipara, ac singulari ipsis præiuit exemplo, siue eius affectum commiserationis beneficentiamque spectes erga pauperes & ærumnos, quibus in prima adhuc ætate, in templo versans, & in omni deinceps vita quoad potuit, liberalissimè subuenit, vti monet Ambros. non in incerto diuitiarum, sed in prece pauperis spem reponēs; siue contempleris eandem commiserationem ac beneficentiam aduersus  
Chri-

Christum filiū suum Deum, sua voluntate pupillum, egenum, peregrinum, nudum, algentem, esurientem, sitientem, quem omni materna pietate rexit, fouit, nutriuit, atque ad virilem perduxit ætatem, qua nostræ redemptionis expleret opus à cælesti Patre demandatum; siue aduersus primitiuos fideles in sua viduitate, cūm à Christo illis derelicta Mater esset Apostolorum magistra, Martyrum adiutrix & exhortatrix, tenuiorum eius æui fidelium perfugium atque solatium; siue denique attendas, quam & modò regnans in cælis aduersus nos. ærumnolos mortales in hac valle lachrymarum maternam eius opem inclamantes, profusissimam exercet omni beneficiorum genere misericordiam, cui meritò illud Ruth eulogium accinamus, animo gratissimo: *Benedicta filia, quia priorem misericordiam posteriore superasti.* Maior est enim in cælo regnantis misericordia, quam esset adhuc versantis ac peregrinantis in terra; longè se latius effudit, vniuersum orbem complexa Christianum; excreuit ad cælum euectæ potentia, creuit & mi-

Ruth 3. 10.

seri-

misericordia. *Quasi oliua speciosa in cam-* Ecclesi. 24.  
v. 19.  
 pis, omnibus exposita clementiæ suæ &  
 beneficiæ diffundit oleum. Non ha-  
 bet in vasis oleum, vt cæteræ prudentes  
 virgines, sed tota est oliua fructifera, de  
 qua nos oleum mutuemur. Sileat mise-  
 ricordiam tuam Virgo Beata, quite in Bernard.  
 suis necessitatibus inuocatam memine-  
 rit defuisse. Verùm vt amor amore con-  
 ciliatur, ita misericordia Dei Matris no-  
 stræ in egentes & calamitosos proximos  
 misericordiâ est prouocanda. Et impen-  
 denti & recipienti, *speciosa misericordia* Ecclesi. 35.  
v. 26.  
*Dei in tempore tribulationis, quasi nubes plu-*  
*uiæ in tempore siccitatis; vtrique proficua,*  
 & nescio an non magis ei qui illam exer-  
 cet, quàm cui præstatur, & in quo exer-  
 cetur. Verè misericordia Dei à Deo pro-  
 fecta, eius suasu & impulsu suscepta, &  
 ab eo copiosissimè remuneranda. Valet  
 in hac æquè ac in futura illud eiusdem,  
*Omnis autem misericordia faciet locum vni-* Ecclesi. 16.  
v. 15.  
*cuique secundum meritum operum suorum.*  
 Salutis præsidium Chrysostr. dicitur, or-  
 namentum fidei, propitiatio pecca-  
 torum, quæ iustos probat, sanctos ro-  
 borat,

432 DE OFFIC. SODAL. PARTH.  
borat, Dei cultores ostentat, in qua omnis summa disciplinae Christianae. Ut autem animus praestat corpori, ita misericordiae spiritualis opera corporalibus antecellunt, & corporalis proximi miseria subleuata cum spirituali eiusdem animi salute componenda non est; illa enim ad exigui temporis usuram, haec ad beatæ fructum aeternitatis refertur. Verum ut animus corpori copulatur, ita sunt utriusque misericordiae opera facienda. Quo maior est indigentia proximi, quoque ille dignior est ea releuari, quo maiore confertur affectu subsidium, quoque magis illud de nostro detrahitur, ac quasi de viuo rescatur; eo praecleariore est & maioris meriti misericordia. cuius generis fuit ea qua S. Virgo erga Deum filium Salvatorem est visa, cum illi lectum, cibum, vestem, caetera vitae subsidia propensissima charitate derulit; cum de suis in cruce intemeratis humanitatis intimam vestem eius deitati circumposuit, cum alteram suis ipsa contexit manibus inconsutilem tunicam, caeterasque vestes curauit, cum infantem vbe-

vberem de cælo pleno pavit amantissimè,  
 puerum ac grandiusculum pane suo labore parto, alijsque deinde obsoniis, prout eius ferebat tenuitas, sed summa enutriuit pietate, atque ad maturam perduxit ætatem. Hac eadem charitate aduersus primitiuos fideles, vniuersis erat subsidio, mœrentibus & agris solatio, dubijs animi consilio, ignorantibus magisterio, omnibusque exemplo vitæ perfectissimæ prælucebat: ac cum iam illi foret ad filium in alteram vitam demigrandum, quibus per totam vitam vsa fuerat, vestes duas à Ioanne duabus quæ eam frequentabant egentibus virginibus erogari voluit, vt pauper ipsa, hac etiam misericordiæ insuper aucta palma ad filium emigraret. Id igitur erit illi gratissimum Parthenij Sodalis officium, si ad eius imitationem, eius honoris causa, hæc misericordiæ duplicis opera frequenter vsurpet, si in Virginis nomine petenti præsertim & per eam obsecranti stipem liberaliter erogat, id Ambrosij versans animo, Vilis pecunia, sed pretiosa misericordia; aut, si pecunia caret, pecu-

T

nia

niæ præferendam omni salutationem Angelicam in eius locum pronuntiet, illud August. memorans, Pauperis est orare, diuitis erogare. Si, quando per studiorum ferias licet, adeat nosocomium, ægrotis inseruiat, carcere detentos visitet, pauperum funus cohonestet, ad eorumque adiuuet sepulturâ; sed maxime si doceat ignorantes fidei rudimenta, incertis animi salutaria suggerat consilia, prolapsos in peccata reducat in viam, & ad Pœnitentiæ & Eucharistiæ frequentanda inducat Sacramenta, pijs colloquijs ad ineundam Sodalitatem excitet, aut ipsos Sodales suos ad virtutis studiû, ad Dei Matris amplificandum cultum extimulet; si nullum, quoad eius pars virilis feret, cum diuina gratia benignitatis prætermittat officium, in paupere Christum intuens, illius certissimi pronuntiati memor, quod in extremo iterabit iudicio:

*Quodcumque vni ex his minimis meis fecistis, mibi fecistis. Qui parçè seminat, parçè & metet; qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet. Non ex tristitia & necessitate: bilarem enim datorem diligit*

2. Cor. 9. 6.  
& 7.



*ligit Deus. Quomodo potueris, ita esto misericors.*

## CAPVT XXII.

*De perseverantia per Beatam Matrem efflagitanda.*

**R**eliqua est vna perseverantia Parthenio Sodali præstanda, vel à Deo per Virginem Matrem postulanda, quæ sola meretur viris gloriam, coronam virtutibus, sine qua nec obsequium mercedem habet, nec beneficium gratiam, nec laudem fortitudo, neque qui pugnat victoriam, neque palmam victor consequitur: quæ vigor est virium, virtutum consummatio, & nutritrix ad meritum, mediatrix ad præmium, soror patientiæ, constantiæ filia, amica pacis, amicitiarum nodus, vnanimitatis vinculum, propugnaculum sanitatis. quæ laudes ei deferuntur à Bernardo. Parum est nos rectam

*Epist. 129.*

*ad Iannens.*

virtutum ingressos viam, nisi tandem eius viæ terminum, beatam vitam attigerimus: parum est è carceribus soluisse feliciter, & multum spatij emensos esse, si in medio cursu defecerimus animis, aut,

T 2

cùm